

eum, quasi esset iniquus; unde dicitur Danielis nono: "Post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus; et non erit eius populus, qui eum negaturus est"; et Isaiae quinquagesimo tertio: "Sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se sic obmutescet"; et Matthaei vigesimo septimo: "Postquam illuserunt ei, induerunt eum vestimentis suis et duxerunt, ut crucifigeretur". "Et cum eo crucifixerunt duos latrones". "Et impleta est Scriptura, quae dixit: Et cum iniquis reputatus est". — *Et tertia die resurget, ut verus Deus*, quod dicitur, ne ex passione terreantur. Huius resurrectionis figura praecessit in Iona; unde dicitur Matthaei duodecimo: "Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terrae". Unde et Osce sexto: "Vivificabit nos post duos dies et in tertia die suscitabit nos"; et de hoc Ioannis secundo: "Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud". "Hoc autem dicebat de templo corporis sui". — In his autem sex, quae facta sunt in nostra redemptione: in traditione, illusione, flagellatione, conspuitione, occisione et resurrectione, recte clauditur radicaliter universitas operum reparationis; ut sicut in sex diebus mundus fuit perfectus, sic etiam in his sex opus reparationis consistat; et tandem sequitur Spiritus sancti datio, sicut in die septima; in cuius mysterium dicitur Genesis secundo: "Complevit Deus die septimo omne opus suum"; "et benedixit diei septimo et sanctificavit illum". In quo intelligitur datio gratiae septiformis; Ioannis septimo: "Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus", etc.

1299 Quarto quantum ad *caecitatem cordis humani* subiungit: *Et ipsi nihil horum*

intellegerunt, quia hanc veritatem non advertebant; Psalmus: Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Et in hoc gerunt figuram *ignorantium praelatorum*, qui ignorant documenta Scripturarum, secundum illud Isaiae quinquagesimo sexto: "Ipsi pastores nescierunt intelligentiam". — *Et erat verbum istud absconditum ab eis*, quia hanc veritatem non perquirebant, tamquam animales et sensibiles; Iob vigesimo octavo: "Unde venit sapientia, et quis est locus intelligentiae? Abscondita est ab oculis omnium viventium". Et in hoc gerebant Apostoli figuram *Iudaeorum*, quibus divina secreta velantur; secundae ad Corinthios tertio: "Cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum"; quia nondum velum erat scissum per passionem, secundum illud Matthaei vigesimo septimo: "Velum templi scissum est". — *Et non intelligebant quae dicebantur*, et hoc, quia hanc veritatem non diligebant. Cum enim Christum carnaliter diligerent, displicebat eis, quod Christus debebat pro nobis mori; sicut et Petrus dicebat Matthaei decimo sexto: "Absita te, Domine, non erit tibi hoc". Unde Glossa Bedae: "Discipuli sermonem dominicae passionis toties replicatum ideo intelligere non valent, quia, quem maxime videre desiderant, eius mortem audire non possunt; et quem non solum hominem innocentem, sed etiam verum Deum esse sciunt, mori posse non putant. Et quoties dicit aliquid de sua passione, hoc allegorice dictum putant". — Ex quo apparet caecitas cordis humani, quae mysteria suae redemptionis non intelligit, nisi Deus tamquam caeco lumen ostendat suae lucis et reddat contuitum veritatis. Ideo recte sequitur miraculum de illuminatione caeci, in quo intelligitur illuminatio generis humani, quia ge-

nus humanum per se ignorat redemptionis opus et quantum ad *factum* et quantum ad *rationem* et quantum ad *mysterium*; primae ad Corinthios primo: "Nos praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam". Necesse est ergo, quod Christus sensum aperiat ad intelligentiam Scripturarum.

1300 *Factum est autem, cum appropinquaret, etc.* Postquam proposuit exemplum imitabile in passione Crucifixi, hic exponit *factum admirabile in illuminatione pauperis caeci*, in quo simul manifestatur Christi potestas et benignitas, et etiam acceptatur mendicantis paupertas. Ad huius igitur miraculi instructionem plenarie explicandam quatuor introducuntur ab Evangelista, scilicet *opportunitas mendicantis, importunitas supplicantis, liberalitas medentis, integritas sanitatis*.

1301 Primo igitur quantum ad *opportunitatem*, seu necessitatem mendicantis dicit: *Factum est autem, cum appropinquaret Iericho, caecus quidam sedebat secus viam mendicans*. Vere hic mendicus erat, qui simul indigebat pane et luce, quae omnibus communiter se offerunt. Et designat hic caecus genus humanum, quod est *caecum* per carentiam lucis sapientiae et *mendicans* per defectum gratiae et iustitiae; unde sibi potest dici illud Apocalypsis tertio: "Nescis, quia tu es miser et miserabilis et pauper et caecus et nudus"; et de Pharisaeis dicitur Matthaei decimo quinto: "Caeci sunt et duces caecorum". Excaecatatum est autem genus humanum per cupiditatem temporalium; Psalmus: "Supercecidit ignis, et non viderunt solem". Unde huius notabilis figura praecessit in Tobia, qui, sicut dicitur Tobiae secundo, excaecatus est de stercoribus hircundinum. Et huic consonat, quia caecus iste erat iuxta Iericho; *Iericho* enim interpretatur luna

et designat mutabilitatem rerum, ex quarum amore homo excaecatatur et stultus efficitur; Ecclesiastici vigesimo septimo: "Homo sanctus in sapientia permanet sicut sol, stultus vero ut luna mutatur". Et hic caecus non est *in via*, sed *secus viam*, secundum illud Sapientiae quinto: "Erravimus a via veritatis, lumen iustitiae non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis". Sed tunc caecus sedet *secus viam*, quando ad lumen veritatis *appropinquat* ex consideratione suae defectibilitatis et variabilitatis; unde Glossa: "*Iericho* luna interpretatur, per quam defectus mortalitatis intelligitur. Dum ergo Verbum Dei infirmitatem nostrae carnis suscipit, homo ad cognoscenda divina redit".

Secundo quantum ad *importunitatem* 1302 *postulantis* subditur: *Et cum audiret turbam praetercurrentem; in quo explicatur importunitas caeci orantis et dantis nobis exemplum orandi; quaerit, petit et pulsatur*, secundum illud Matthaei septimo: Quaeque et invenietis; petite, et accipietis; pulsate, et aperietur vobis. — *Quaerit* igitur *solicite* ex auditu turbae; propter quod dicit: *Interrogabat, quid hoc esset*, scilicet a turba praetercurrente. Turba ista transiens est decursus creaturarum, quae interrogatae aliquo modo manuducunt nos ad Salvatorem; propter quod Iob duodecimo: "Interroga iumenta, et docebunt te; et volatilia coeli, et indicabunt tibi. Loquere terrae, et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod haec omnia manus Domini fecerit? In cuius manu anima omnis viventis et spiritus universae carnis". Ideo haec omnia ducunt ad suum factorem et reparatorem.

Propter quod additur: *Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazareus transiret*. Omnes hae creaturae, secundum quod loquuntur nobis per librum *creaturae*, respon-

dent nobis de *Verbo increato*; Danielis tertio: "Benedicite, omnia opera Domini, Domino"; et Sapientiae decimo tertio: "A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri"; quia, ad Romanos primo, "invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur". Secundum autem quod loquuntur nobis per *verbum Scripturae* respondent nobis de *Verbo incarnato*; unde Ioannis quinto: "Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam habere. Illae sunt, quae testimonium perhibent de me"; quia, ad Romanos decimo, "finis legis, Christus ad iustitiam". Unde in Cantico Deuteronomii trigesimo secundo: "Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi", etc.

1304 *Petit etiam devote, et ideo sequitur: Et clamavit dicens: Iesu, fili David, miserere mei.* In hoc, quod *clamat*, ostendit, se habere *excedentiam desiderii*; propter quod dicitur ad Romanos octavo: "Spiritus est, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus". In hoc, quod dicit: *Iesus*, ostendit, se habere *confidentiam spei*; Psalmus: "Speravit in Domino, eripiet eum, salvum faciet eum". Spe enim vocat *Iesum*; id est salvatorem, quia, ad Romanos octavo, "spe salvi facti sumus". In hoc, quod dicit: *Fili David*, ostendit, se habere *intelligentiam fidei*, qua credimus, Christum ex semine David natum, secundum illud ad Romanos primo: "Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute". Unde et Matthaei vigesimo primo dicitur, quod "clamabant: Hosanna filio David! benedictus, qui venit in nomine Domini".

1305 Et quoniam orationi nostrae praebent obstaculum rerum imaginationes, quae deberent nos in Deum ducere; ideo su-

bdit: *Et qui praeibant increpabant eum, ut taceret.* Unde Glossa: "Qui Iesum venientem praeceunt significant tumultus carnalium desideriorum, quae dissipant cogitationem hominis et perturbant vocem orationis, ne Iesus ad illuminandum venire possit cor hominis". Unde huiusmodi imaginationes, retrahentes nos ab oratione per strepitum suum, nihil aliud sunt quam quoddam obstaculum inter nos et Christum, secundum illud Threnorum tertio: "Opposui tibi nubem, ne transeat oratio"; et ideo opus est importuna *pulsatione*. — Propter quod caecus *pulsat continue*, cum subiungitur: *Ipse vero nullo magis clamabat: Fili David, miserere mei*; Psalmus: "Domine Deus salutis meae, in die clamavi et nocte coram te". Et haec est virtus orationis, quae ex vera fide procedit. Unde Chrysostomus: "Talis est natura fidei, quod quanto magis vetatur, tanto magis accenditur; propter quod servi Dei in persecutionibus non vincuntur". Unde Glossa dicit, quod "credens, sentiens se gravari phantasmate priorum vitiorum, et vocem orationis suae impediri, ne pro se exorare possit, ardentius clamat".

Tertio quantum ad *liberalitatem medentis* subiungitur: *Stans autem Iesus, iussit, illum adduci ad se.* Dicitur autem *Iesus stare*, quia ipse in se immutabilis est: Psalmus: "Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient"; unde Glossa: "Iesus *transiens* caecum audit, *stans* illuminat, quia per humanitatem suam nostrae caecitatis vocibus compatitur, sed Divinitatis suae potentia lumen nobis gratiae suae infundit". Et licet per orationem videamur eum trahere ad nos, ipse magis trahit nos ad se, sicut navis ad petram trahitur, sicut dicit Dionysius. Ideo sponsa in Cantici primo dicit: "Trahe me post te". Unde ad

ipsum trahimur, quando mente ad ipsum excitamur et supra nos excedimus. In cuius figuram Marci decimo dicitur de hoc caeco: "Profecto vestimento suo, exsilens venit ad eum". Et tunc et arcana verba audimus, secundum illud Prophetiae in Psalmo: "Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus".

1307 Et ideo additur: *Et cum appropinquasset, interrogavit illum, dicens: Quid tibi vis faciam?* In quo apparet liberalitas dantis, quia offert se beneplacito petentis. Unde Glossa: "Non ex ignorantia Dominus quaerit, sed ideo, ut rogetur, ut mentem ad orationem excitet"; secundum illud Ioannis decimo sexto: "Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis". — Et quoniam qui in nomine Iesu petit, petit salutaria, ideo subdit: *At ille dixit: Domine, ut videam.* Glossa: "Non petit caecus aurum, vel aliquid temporale, sed tantum lumen. Imitemur ergo eum quem corpore et mente audivimus sanatum". Unde Iacobi primo: "Si quis vestrum indiget sapientia, postulet illam a Deo, et dabitur ei". Exemplum huius habetur in Salomone tertii Regum tertio, ubi dicitur, quod "apparuit Dominus Salomoni et dixit: Postula quod vis, ut dem tibi". At ille dixit: "Dabis servo tuo cor docile", etc. "Et placuit sermo coram Domino, quod rem huiusmodi postulasset. Et dixit Dominus: Quia tu postulasti sapientiam, ecce, dedi tibi cor sapiens et intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit nec post te surrecturus sit", etc.

1308 Quarto quantum ad *integralitatem sanitatis* subiungit: *Et Iesus dixit illi: Respice; fides tua te salvum fecit, per infusionem divinae gratiae.* Per respectum namque fidei cor nostrum erigitur ad iustitiam; ad Romanos quinto: "Iustificati per fidem, pacem habeamus ad

Deum". Et haec est prima virtus, de qua ad Hebraeos undecimo: "Accedentem oportet credere", nam "ipsa est substantia rerum sperandarum", etc.

1309 *Et confestim vidit, per circumspeditionem prudentiae;* ad Ephesios quinto: "Videte, fratres, quomodo caute ambuletis"; Proverbiorum quarto: "Oculi tui recta videant, et palpebrae tuae praecedant gressus tuos". — *Et sequebatur illum, magnificans Deum,* per *subiectionem obedientiae.* Glossa: "Videt et sequitur qui bonum, quod intelligit, operatur et Iesum praetereuntem imitatur"; Ioannis octavo: "Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae". — *Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo,* per manifestationem *divinae gloriae.* Hoc enim est opus, in quo summe manifestatur potentia, sapientia et misericordia, quando scilicet de peccatore fit iustus, de stulto sapiens, de errante fidelis et de impio virtuosus. Et ideo de hoc maxime laudandus Deus; unde ad Galatas primo: "Ignotus eram facie", dicit Paulus, "Ecclesiis Iudaeae, quae erant in Christo; tantum autem auditum habebant: quoniam qui persequabatur nos aliquando nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat; et in me glorificabant Deum". Et hoc debemus facere, secundum illud Ecclesiastici quadragesimo tertio: "Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis, super-valebit adhuc, et admirabilis magnificentia eius, benedicientes Dominum, exaltate illum, quantumcumque potestis; maior enim est omni laude".

Varia contra Bacchanal. dissolut.,
ex S. Carolo Borromeo.

[ACTA REG. MEDHOLAN. P. VII].
[Liber Memorialis, ubi de cessatione pestis, etc.].

1310 **A**UDIAS, Mediolanum, audias Dei in te clamo-
res. Restituas, inquit Deus, mihi sacros hos
dies quos in me impie adeo contumelioseque im-
pendis, ut regnum meum evertatur, ut subditorum
fidelium mentes corrumpantur, quibus denique
Sponsa Ecclesia mea tot lacrymarum angustia-
rumque causas experitur inter alia quae in animi
mei solatium a vobis, Dilectissimi, fieri possunt,
pro tot laboribus, periculis et anxietatibus quas
hactenus, praesertimque hoc contagii tempore ve-
stri causa sustinui, id in primis a vobis pro sa-
lute vestra exopto, ut in posterum amoveantur
ethnismi prophanae illae reliquiae, quibus Sa-
tanus hominum mentes ita his temporibus occu-
pavit, et ut ita dicam fascinauit, in hasque insa-
nias induxit, ut etiam saeculi iudicio sapientes non
pudeat, hoc voluptatum tempore insanos se pa-
lam profiteri. Valeant posthac larvarum usus qui-
bus videntur homines non modo voluisse perso-
natos transformari, sed etiam acceptam a Deo for-
mam quodammodo penitus obliterare: nonnulli si-
quidem in animalis huius insaniae culmen vene-
runt, ut ethnicorum transformationum acmuli be-
stiarum formas et figuram induerent.

1311 **Maledicti et execrandi larvarum usus; id prae-
ter alia impietatis et depravationis habentes, quod
antiquae nostrae ruinae, cuius Satanas serpentis
formam induens, sic larvatus auctor fuit, quasi
memoria festiva agatur. Detestandi larvarum usus,
quarum privilegio fas est eulibet obscena et im-
pudica verba impune profari, gestus et actus omni-
mode impuros edere; impiae larvae, honestatis op-
pugnatrices, gravitatis inimicae, ruinae plae huius
vigilantiae, cui foris et intus tenetur Christianus
indulgere. Valeant a nobis una cum larvarum ab-
usu et ipsae comediae, mundi fabulae, prophanae
spectacula quibus hi festorum in primis
dies toto hoc tempore a populo impie adeo violan-
tius, quod pro religioso e contra cultu fuerant
instituti. Valeant execrandae illae perniciosaeque
publicae salutationes, Christianorum casitatis adeo
exitiosae, rixarum, iurgiorum, inimicitiarum, impu-
dentiarum, pugnarum, caedumque radices et oc-
casiones, imo cuiuscumque lasciviae seminaria.
Quid plura? ex eiusmodi salantium consortiis o-
runtur corporum, famae, rerum, et Christianae
denique posthac disciplinae detrimenta: eliminan-
tur ergo salationum usus, et una cum his tot
aliae morum corruptelae, quibus hoc maxime tem-
pore solet Satanas hominum mentes suo imperio
vincere, prorsus abrogenentur.**

Nec illa amplius effusiora convivia habeantur,
ubi dissolutionibus et crapulis, quibus homo extra
se quasi prorumpens, mente, lingua et opere in
peccatum praecipit ruit, indulgetur. Abrogenentur
omnino et in abyssum mittantur pessimae invene-
rataeque consuetudines, et ab hoc populo in mo-
rem usurpatae, donec ex earum occasione irascens
Deus, pestis flagello acerbe nos cruciaverit. Inter
alias utilitates quas praeter liberationis beneficium
post inmissam ita eo volente contagii lueni, a
nobis expetit, est in primis, ut pessimae illae con-
suetudines omnes et omnino intereant: hanc prae
ceteris reformationem, hanc publicam inimicitiae
cum mundo prophanisque eius moribus profes-
sionem exquirat testimonium illud, et pignus quod
restituta ex integro sanitate reconciliationis et ami-
citiae nobiscum suae, quaeque inimica saeculo con-
stituitur, Deus nobis exhibuit. Saeculum hoc equi-
dem est adulterum, saeculum ingratum, inimicum
Deo, saeculum, caecum, stulte decipiens et animale,
saeculi pessimae consuetudines, perniciosae, exe-
crandae: *Nolite*, inquit Apostolus, *conformari huic
saeculo*. Ethnicorum ergo hos mores, prava haec
gentium, quae Deum nec agnoscunt, nec alterius
quam huius vitae spem sibi proponunt, oblecta-
menta omnino fugiatis. Ethnicorum haec deum
vestigia et accepta symbola prorsus abrogenentur.

1312 **Hoc votum, quod Paulus scribens ad Ephesios
refert, perpetuo ob oculos habeatis: Hoc igitur dico
et testificor in Domino, ut iam non ambuletis sicut
et gentes ambulavit in vanitate sensus sui, tenebris
obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei
per ignorantiam quae est in illis, propter caecitatem
cordis ipsorum: qui desperantes amicos tradi-
derunt impudicitiae in operationem, inmunditatis
omnis in avaritiam. Vos autem non ita didicistis
Christum: si tamen illum audistis, et in ipso edocui-
stis, sicut est veritas in Christo Iesu deponere vos
secundum pristinam conversationem veterem homi-
nem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.
Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite
novum hominem, qui secundum Deum creatus est,
in iustitia, et sanctitate veritatis. Haec item ex eo-
dem verba in memoriam revocetis. Nemo vos se-
ducat inanibus verbis: propter haec enim venit
Iesu in filios diffidentiae. Nolite ergo fieri partici-
pes eorum. Eratis enim aliquando tenebrae, nunc
autem lux in Domino: ut filii lucis ambuletis, fru-
ctus enim lucis est in omni bonitate, et iustitia, et
veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo, et
nolite communicare operibus infructuosius tenebra-
rum, magis autem redarguite. Non ergo tenebro-
sa amplius et noctis opera in hac sanitatis luce
et acceptae a Deo salutis die lucidissimo obser-
ventur; ab his omnino abstinemus, ne ut antea**

obsecrati, in easdem adhuc tenebras errantes,
ut illi qui obscura nocte ambulant, miseri prola-
bamur.

FERIA TERTIA

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.

HOM. IN DOM. QUINQUAG.

1314 **P**RAEVIDENS Salvator ex passio-
ne sua discipulorum animos
perturbandos, eis longe ante
et eiusdem passionis poenam, et resur-
rectionis suae gloriam praedicat, ut cum
morientem, sicut praedictum esset, cer-
nerent, etiam resurrecturum non dubi-
tarent. Praeviciens etiam quosdam haereticos
in Ecclesia futuros, qui Christum
dicerent legi prophetisque docuisse contra-
ria, aliunde veteris testamenti, atque
alium novi Deum esse credendum,
ostendit prophetarum praesagia non alio
magis, quam ad suae dispensationis,
quam pro nobis temporarie suscepit, in-
tendens mysterium: adeo, ut consum-
matio sit prophetiae suae passionis, et
posterioris gloriae celebrata perfectio.
Necnon et paganorum dementia, qua
eius crucem derident, apertissime con-
futat, quando proximae suae passionis
et tempus, quasi futurorum praescius
ostendit, et locum quasi mortis intrepidi-
us adiit.

1315 **Et ipsi nihil horum intellexerunt. Et erat
verbum istud absconditum ab eis, et non in-
telligebant quae dicebantur. Legimus in E-
vanglio secundum Ioannem, dicente Do-
mino: Si exaltatus fuero a terra, omnia
traham ad meipsum, respondisse turbam,
atque dixisse: Nos audivimus ex lege,
quia Christus manet in aeternum. Et quo-
modo tu dicis, oportet exaltari filium ho-
minis? Quid est ergo quod discipuli to-
ties sibi replicatum Dominicae passionis
arcanum intelligere nequeunt, et Iudaei
ad unum verbum et tam obscure posi-**

tum, ut hoc expositione dignum Evan-
gelista ducat, *Hoc autem dicebat*, inquit,
significans quia morte esset moriturus,
mox quia crucis exaltatio significetur,
intelligunt, nisi quia discipuli, cuius vi-
tam maxime videre desiderabant, eius
mortem audire non poterant. Quem non
solum hominem innocentem, sed et Deum
verum sciebant, hunc nullatenus mori
vel posse putabant. Et quia per para-
bolas eum saepe loquentem audire con-
sueverant, quoties aliquid de sua passio-
ne dicebat, hoc non ita, ut sonabat, intel-
ligendum, sed amore dictante, ad aliud
quid allegorice referendum esse crede-
bant. Iudaei vero, quia in eius necem
conspiraverant, quidquid de sua passio-
ne vel cruce loquebatur, intelligebant.
Hoc enim loquebatur, quod ipsi sum-
mopere et fieri optabant, et perficere
satagebant: sicut miro et inusitato mo-
do idem subeundae crucis sacramentum,
quod fidelibus amor abscondit, infideli-
bus invidia pandit.

1316 **Factum est autem cum appropinquaret
Iericho, caecus quidam sedebat secus
viam mendicans. Et cum audiret turbam
praeterentem, interrogabat quid hoc esset.
Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazareus
transiret. Caecus iste per allegoriam ge-
nus humanum significat, quod in pa-
rente primo a paradisi gaudiis expulsum,
claritatem supernae lucis ignorans, dam-
nationis suae tenebras patitur: sed cum
Iericho appropinquare Iesus dicitur,
caecus illuminatur. Iericho quippe in-
terpretatur luna: luna autem in sacro
eloquio pro defectu ponitur carnis: quia
dum menstruis momentis descrecit, de-
fectum nostrae mortalitatis designat.
Dum igitur conditor noster appropinquat
Iericho, caecus ad lumen redit: quia
dum Divinitas defectum nostrae carnis
suscepit, humanum genus lumen, quod
amiserat, recipit. Qui videlicet caecus**

recte et iuxta viam sedere, et mendicans esse describitur. Ipsa enim Veritas dicit: *Ego sum via*. Ergo qui aeternae lucis claritatem nescit, caecus est: sed si iam in Redemptorem credit, iuxta viam sedet. Si autem iam credit, sed ut aeternam lucem recipiat rogare dissimulat, atque a precibus cessat, caecus quidem iuxta viam sedet, sed minime mendicat; si vero credit et exorat, et iuxta viam sedet caecus, et mendicat.

1317 *Et clamavit, dicens: Iesu fili David, miserere mei. Et qui praebant, increpabant eum, ut laceret. Ipse vero multo magis clamabat, Fili David, miserere mei.* Quid isti designant, qui Iesum venientem praecedunt, nisi desideriorum carnalium turbas, tumultusque vitiorum: qui priusquam Iesus ad cor nostrum veniat, tentationibus suis cogitationem nostram dissipant, et voces cordis in oratione perturbant? Saepe namque dum converti ad Deum post perpetrata vitia volumus, dum contra haec eadem exorare vitia, quae perpetravimus, conamur, occurrunt cordi phantasmata peccatorum quae fecimus, mentis nostrae aciem reverberant, confundunt animum, et vocem nostrae deprecationis premunt. Sed quem turba increpat ut taceat, magis ac magis clamat: quia quanto graviore tumultu cogitationum carnalium praemimur, tanto orationi insistere ardentius debemus.

1318 *Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se.* Ecce stat, qui ante transibat: quia cum adhuc turbas phantasmatum in oratione patimur, Iesum aliquatenus transuentem sentimus. Cum vero orationi vehementer insistimus stat Iesus et lucem restituit: quia Deus in corde figurat, et lux amissa reparatur.

1319 *Et cum appropinquasset, interrogavit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam.* Numquid qui

lumen reddere poterat, quid vellet caecus ignorabat? Sed peti vult hoc quod et nos petere, et se concedere praenoscit. Importune namque ad orationem nos admonet, et tamen dicit: *Scit namque Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Ad hoc ergo requirit, ut petatur: ad hoc requirit, ut cor ad orationem excitet. Unde et caecus protinus adiungit: *Domine, ut videam.* Ecce caecus a Domino non aurum, sed lucem quaerit, parvipendit extra lucem aliquid quaerere. Quia etsi caecus habere quodlibet potest, sine luce non potest videre quod habet. Imitemur ergo eum, quem et corpore audivimus et mente salvatum, non falsas divitias, non terrena dona, non fugitivos honores a Domino, sed lucem quaeramus: illam videlicet lucem, quam videre cum solis angelis possumus, quam nec initium inchoat, nec finis angustat: ad quam profecto lucem via fides est. Unde recte et illuminando caeco protinus subiungitur:

Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequabatur illum, magnificans Deum. Videt et sequitur, qui bonum quod intelligit, operatur: videt autem, sed non sequitur, qui bonum quidem intelligit, sed bona operari contemnit: Iesum enim sequitur, qui imitatur. Hinc namque dicit: *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Consideremus ergo qua graditur, ut sequi mereamur: sicque fit, ut non solum nostra vita in Deum proficiat, sed haec ipsa nostra conversatio ad laudem Dei et alios accendat, unde illic subditur:

Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo. Dedit enim plebs, laudem Deo, non solum pro impetrato munere lucis, sed et pro merito fidei impetrantis. Dedit laudem Deo, quia et Iesum vidit misericorditer ac potenter lucem restituisse

roganti, et obstinatae fidei clamorem, quae iuste quaesierit, mox consequi posse cognovit. Unde notandum, quia Dominus in carne apprensus, omnia quae verbis docuit, exemplis firmavit. Qui enim nobis praecepit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est, et ipse in universis quae coepit facere et docere, non suam ab hominibus, sed Patris gloriam quaerebat.*

Varia contra Bacchanal. dissolut.,
ex S. Carolo Borromaeo.

(ACTA ECCLESIAE MEDIOLAN. P. VII.)
(Liber Memorialis, ubi de cessant. festis, etc.).

1322 **C**ONSTAT equidem, dilectissimi, nec crapulam, nec commensationes, nec impudicitias, aut contentiones, voluptates, carnisque desideria, quibus quasi totidem telis anima impeditur, nec lucis aut diei esse opera, nec minus adhuc alia carnis opera, fornicationes, immunditias, cupidines, inimizias, iras, dissensiones, invidias, homicidia, aliaque eiusmodi inter lucis opera posse recenseri. Sed lucis et diei actiones quas una cum salutis restitutione Dei benignitas fauste nobis conferri voluit, sunt virtutes christianaque opera, et ut verbo dicam, Christum Iesum induisse eiusque haerere vestigiis. Audiantur undequaque sancti Pauli voces, quibus mentis nostrae durities accepta maxime tanta gratia, debuisset emolli: *Hora est nos iam de somno surgere: nox processit, dies autem appropinquavit, abiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis; sic ut in die honeste ambulemus, non in conviviis et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis, non in contentione et aemulatione, sed induamini Dominum Iesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.* Absit, dilectissimi, ut Deum in mortis nostrae discrimine lucem nobis concessisse unquam poeniteat, cum tenebras potius diligeremus quam lucem, ut ait Iohannes Apostolus, nec simul rebelles lumini, ut habetur apud Iob. Domine Deus, qui uno hoc verbo, fiat lux, mundum universum praeclare adeo adornasti, noctem dividens a die; eadem verba nunc iterato pronuntias, unde in mentibus nostris tanta lux oriatur, ut numquam tenebrosis operibus praepediatur, nec lucem pro tenebris aut pro luce tenebras habeant, quae enim societas lucis cum tenebris, inquit Paulus.

1323 Sit ergo haec nostrae abrenuntiationis forma, quam nos hic populus exemplo suo docuit, cum mulieres extraneas dimisit, scilicet utpote lucis filii abstinentiam in posterum ab horum populorum pravis moribus quibus Christianissimi lumen nunquam illuxit; et opera omnino omittamus, quae ex eiusmodi consuetudinibus ut perditionis et mortis operibus oriuntur. Quae quidem opera vel potius depravationes, ut clarius fusiusque vobis innotescat, quot damna et calamitates publicas quovis tempore universo, et in primis Christiano orbi pepererint, accipietis ex tractatu quem Pater gravissimus Dei studio aestuans Episcopus edidit, quemque ideo vulgari idiomate ad huius Memorialis nostri calcem addi volumus; quo mentes vestrae, filiorumque vestrorum moveantur, ut has obscenitates ridiculae facinorae, quae etiam impietatis reliquiae sunt, exhorreant; eosque dies tanto religiosius in posterum agatis, quanto antea eos imple prophanstis.

1324 Id vobis posthac sit consilium, quod aliunde multis ex causis praestare tenemini, totos hos dies in orationibus, in lacrymis, in gratiarum pro acceptis beneficiis actionibus ut impendatis; cum imple illi antea habiti tot Dei flagella, percussiones, et plagas Dei iusto iudicio in nos provocaverint. Hoc vobis sit in accepti beneficii memoriam, ut diuturniori salute donemini, maioribusque quotidie muneribus gaudeatis. Hinc perpetuum animae exercitium hoc tempore sit in primis ut accepta Dei beneficia animo volentes, Dei legem assidue meditumur, fundamus lacrymas, contritione moveamur, culpas nostras fateamur, vitae emendationem iuxta disciplinae Christianae normam profiteamur, eique exercitio tanta utilitate et efficacia demus operam, ut Dei opitulante gratia non modo hoc tempore, sed toto anno in officio continere nos valeat. Sit his temporibus vita nostra, perpetua quasi poenitentia, qua tam pro nostris, quam pro aliorum gravibus tot peccatis, quibus alias quasi totidem clavis et spinis Christum Dominum cruci denuo affiximus, satisfiat; qui equidem ideo sic confixus, mori voluit, ut nos Sanguine suo redimeret, et nos ab aliis gentibus hoc modo segregaret, ut omnem amoverens impietatem, saeculique desideria et cupidines, ei fieremus acceptissimi et bonorum operum sectatores, ut ad Titum scribit Apostolus: *Carissime, in hoc apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudians nos ut abigentes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei.*

FERIA QUARTA CINERUM

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. VI, 16-21.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

17. Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava,

18. ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: ubi aerugo, et tinea demolitur: et ubi fures effodiunt, et furantur.

20. Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo: ubi neque aerugo, neque tinea demolitur: et ubi fures non effodiunt, nec furantur.

21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

Homilia S. Augustini Episcopi.

DE SEKM. DOM. IN MONTE, LIB. 9, CAP. 12, 13.

1325 **M**ANIFESTUM est his praeceptis omnem nostram intentionem in interiora gaudia dirigi, ne foris quaerentes mercedem huic saeculo conformemur, et amittamus promissionem tanto solidioris atque firmiteris, quanto interioris beatitudinis, qua nos elegit Deus conformes fieri imaginis Filii eius (Rom. VIII, 29).

1326 In hoc autem capitulo maxime animadvertendum est, non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosus esse posse iactantiam; et eo periculosiorem, quo sub nomine servitutis Dei decipit. Qui ergo immoderato cultu corporis atque vestitus vel ceterarum rerum nitore praefulget, facile convincitur rebus ipsis, pompae saeculi esse sectator, nec quemquam fallit dolosa imagine sanctitatis: qui autem in professione Christianitatis inusitato squalore ac sordibus intentos in se oculos hominum facit, cum id voluntate facit, non necessitate patitur, ceteris eius operibus potest conici utrum hoc contemptu superflui cultus, an ambi-

tionem aliqua faciat; quia et sub ovina pelle cavendos lupos Dominus praecepit; sed ex fructibus, inquit, eorum cognoscet eos. Cum enim coeperint aliquibus tentationibus ea ipsa illis subtrahi vel negari, quae isto velamine vel consecuti sunt, vel consequi cupiunt, tunc necesse est appareat utrum lupus in ovina pelle sit, an ovis in sua. Non enim propterea ornatu superfluo debet aspectus hominum mulcere christianus, quia illum parcum habitum ac necessarium etiam simulatores saepius usurpant, ut incautos decipiant: quia et illae oves non debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contegunt.

Quaeri ergo solet quid sit quod ait: 1327 Vos autem cum ieiunatis, ungite capita vestra, et facies vestras lavate, ne videamini hominibus ieiunantes. Non enim quispiam recte praecepit, quamvis faciem quotidiana consuetudine lavemus, unctis etiam capitibus cum ieiunamus, nos esse debere. Quod si turpissimum omnes faterentur, intelligendum est hoc praeceptum ungendi caput, et faciem lavandi, ad interiorum hominem pertinere. Ungere ergo caput, ad laetitiam pertinet; lavare autem faciem, ad munditiam: et ideo caput ungit qui laetatur interius mente atque ratione. Hoc enim recte accipimus caput, quod in anima praeeminet, et quo cetera hominis regi et gubernari manifestum est. Et hoc facit qui non foris quaerit laetitiam, ut de laudibus hominum carnaliter gaudeat. Caro enim quae subiecta esse debet, nullo modo est totius naturae humanae caput. Nemo quidem unquam carnem suam odio habuit, sicut Apostolus dicit, cum de diligenda uxore praecepit (Ephes. V, 25-33): sed caput mulieris vir, cui viro caput est Christus (I Cor. XI, 3). Interior ergo gaudeat in ieiunio suo, eo ipso quo sic se ieiunando averit a voluptate saeculi ut

sit subditus Christo, qui secundum hoc praeceptum caput unctum habere desiderat. Ita enim et faciem lavabit, id est, cor mundabit, quo visurus est Deum, non interposito velamine propter infirmitatem contractam de sordibus; sed firmus et stabilis, quoniam mundus et simplex. Lavamini, inquit, mundi estote, auferite nequitias ab animis vestris, atque a conspectu oculorum meorum (Is. I, 16). Ab his igitur sordibus facies nostra lavanda est, quibus Dei aspectus offendi- tur. Nos enim revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformabimur (II Cor. III, 18).

1328 Saepae etiam cogitatio necessarium rerum ad istam vitam pertinentium, sauciat et sordidat interiorum oculum nostrum; et plerumque cor duplicat, ut ea quae videmur cum hominibus recte facere, non eo corde faciamus quo Dominus praecepit, id est, non quia eos diligimus, sed quia commodum ab eis aliquod propter necessitatem praesentis vitae adipisci volumus. Debemus autem benefacere illis propter salutem ipsorum aeternam, non propter temporale commodum nostrum. Inclinet ergo Deus cor nostrum in testimonia sua, et non in emolumentum (Psalm. CXVIII, 36). Finis enim praecepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta (I Tim. I, 5). Qui autem propter suam in hac vita necessitatem fratri consulit, non utique caritatem consulit; quia non illi, quem debet tamquam seipsum diligere, sed sibi consulit: vel potius nec sibi; quandoquidem hinc sibi facit duplex cor, quo impeditur ad videndum Deum; in qua sola visione beatitudo est certa atque perpetua.

1329 Recte ergo sequitur, et praecepit, qui mundando cordi nostro instat, dicens: Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi tinea et comestura exterminant, et ubi

fures effodiunt et furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in coelo, ubi neque tinea neque comestura exterminant, et ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum.

Ergo si in terra erit cor, id est, si eo corde quisque operetur aliquid, ut terrenum commodum adipiscatur, quomodo erit mundum, quod in terra volutatur? Si autem in coelo, mundum erit, quia munda sunt, quaecumque coelestia. Sordescit enim aliquid, cum inferiori miscetur naturae, quamvis in suo genere non sordida; quia etiam de puro argento sordidatur aurum, si miscetur: ita et animus noster terrenorum cupiditate sordescit, quamvis ipsa terra in suo genere atque ordine munda sit. Coelum autem hoc loco non corporeum acceperimus, quia omne corpus pro terra habendum est. Totum enim mundum debet contemplare, qui sibi thesaurizat in coelo. In illo ergo coelo de quo dictum est: Coelum coeli Domino (Psalm. CXIII, 16), id est, in firmamento spirituali, non enim in eo quod transiet, constituere et collocare debemus thesaurum nostrum et cor nostrum, sed in eo quod semper manet: coelum autem et terra transiunt (Matth. XXIV, 35).

Varia de impos. Cinerum, ex Azevedo.

(DE DIV. OFFIC., EXERCIT. 43).

1330 In ea vero Feria, cineres asperguntur ut Fideles sint memores, ait S. Isidorus Hispalensis, de Offic., lib. 2, c. 16, quia cinis et pulvis sunt; per favillam cineres perpendamus mortis sententiam, ad quam peccando pervenimus. Attamen ex Regimine saeculi noni scriptore, haec caeremonia peccatoribus poenitentiae addendis destinata erat; unde eam describens ait: In capite Quadragesimae, Feria quarta Cinerum, omnes poenitentes.... ante fores Ecclesiae se representent Episcopo sacco induti, nudis pedibus.... ubi adesse debent Decani cum Presbyteris.... eos extra ianuam Ecclesiae expellant, Cleros prosequatur eos cum Responsorio:

In sudore vultus tui vesceris. Aderant poenitentes prae foribus sacrarum aedium cilicio, et sacco induti, nudis pedibus, et omnia praeserentes de- missionis argumenta; aderant quoque Episcopus et Praesbyteri, quibus poenitentium flagitia, ac mores perspecti erant, debitas poenas eis imponebant; deinde ipsos aqua et cinere sacro aspergebant. Inde vero compertum fit sacros cineres, qui hae die omnibus distribuuntur, ad solos olim publicos poenitentes pertinuisse; verum sequioribus temporibus aliquos pietate insignes voluisse participes esse harum publicarum humilationum, et cinere sacro etiam conspergi cum publicis poenitentibus, quod exemplum subinde tot imitati sunt, ut saeculis duodecimo et decimo tertio in communem cesserit consuetudinem. Hinc Lugduni una cum cineribus benedicuntur virgae tanquam idonea instrumenta ad castigandos poenitentes, peccataque puniendi. Quamobrem, etiam in distributione Cinerum loco *Memento homo*.... in quibusdam Ritualibus dicitur: *Poenitentium age cum cilicio, et cinere, in aliis autem: Cineris huius aspersio sil nudi, quaeque Domine, remedium salutare, eo quod haec caeremonia ad publicos olim tantum spectaret peccatores; unde et hoc aevo in quibusdam Ecclesiis dantur cineres in limine maioris ianuae, quo loco antiquitus poenitentes, qui postea extra Ecclesiam remanebant, praebantur.*

FERIA QUINTA POST CINERES

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. VIII, 5-13.

In illo tempore: Cum introisset Iesus Capharnaum accessit ad eum Centurio, rogans eum,

6. et dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, et male torquetur.

7. Et ait illi Iesus: Ego veniam, et curabo eum. 8. Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum die verbo, et sanabitur puer meus.

9. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: Vade, et vadit; et illi: Veni et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit.

10. Audiens autem Iesus miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.

11. Dico autem vobis, quod multi ab oriente, et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Iacob in regno coelorum:

12. Illi autem regni clementer in tenebras exteriores: ibi erit fletus, et stridor dentium.

13. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Habetur supra FERIA II. infra Dom. III. post Epiphan., pag. 284.

Homilia S. Ioannis Chrysostomi.

OPUS IMPERF. IN MATTH., HOMIL. 22.

Post haec autem cum venisset in Centurio, rogans eum, et dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, et male torquetur. Postquam Dominus populum docuit super montem, et leprosum mundavit sub monte: post haec venit Capharnaum in mysterio: post Iudaeorum mundationem venit ad gentes. Et ecce Centurio quidam accessit ad eum rogans. Centurio, primus fructus ex gentibus, ad cuius fidei comparationem omnium Iudaeorum fides infidelitas est inventa. Hic neque Christum audit docentem, neque leprosum, cum mundaretur, aspexit, sed audita tantummodo sanitate leprosi, plus credidit quam audivit. Ille enim seipsum obtulit, dicens: *Si vis, potes me mundare*. Fidei quidem sunt haec verba, non tamen magnae, quoniam talia verba dici poterant etiam hominibus sanctis: qualis fuit Elias, qui leprosum mundavit, non manibus, sed praecepto (IV REG. v). Iste autem Centurio non solum potestatis eius virtutem confessus est, sed ipsam divinitatis eius naturam cognovit. Non enim quasi corporalem sanctum rogavit, sed quasi Deum ubique praesentem, dicens: *Dic verbo, et sanabitur puer meus*. Quasi qui poterat etiam absentium infirmitatibus imperare. Erat enim iste Centurio in mysterio gentium futurum, quae neque legem aut prophetas legerant de Christo, neque ipsum Christum mirabilia facientem viderant, sed iustitiam legis, quam in libris non legerant, in corde senserunt: et Christum,

quem oculis non viderant, mente viderunt, ostendentes in se, quoniam Scripturae ad praedictum peccatorum factae sunt, non ad necessitatem sanctorum: quia rectis et fidelibus Scripturae necessariae non sunt, dicente Apostolo: *Lex non est posita iusto, sed iniustus*. (I TIM. i, 9). Magistra enim omnis iustitiae ipsa natura est hominum, et Scriptura infalsabilis de Deo creaturae sunt omnium rerum: quia nihil est creatum in mundo, per quod non manifestissime Deus ostendatur. Ideo elementa omnium rerum in hoc quidem tempore admonent homines de potentia Dei, in illa autem die iudicio suo condemnabuntur.

¹³³² Sciendum est autem quoniam Lucas per sacerdotes ponit Christum a Centurione rogatum (LUC. VII), Matthaeus autem ab ipso Centurione. Diversae quidem species expositionum, unus autem expositionis est sensus. Ille enim per sacerdotes exponens, mysterium demonstravit: quoniam omnis petitio populi per sacerdotes debet transmitti ad Christum. Iste autem rem ipsam exposuit, quoniam et qui per sacerdotes rogat Christum, recte ipse rogare videtur. Ex eo autem, quod et illic sacerdotibus intercedentibus acquievit, et hic ipso rogante promissit, manifestum est, quoniam et illic non propter personam sacerdotum acquievit, sed propter fidem ipsius Centurionis: ut sciamus quoniam in omni causa non intercedentium merita, sed humiliter petentium aspiciunt fides. *Puer meus in domo iacet paralyticus, et male torquetur*. Quid primum mirerur in Centurione? Humilitatem, aut fidem, aut sapientiam, aut bonitatem? Humilitatem, quia nec in domo sua Christum suscipere dignum se esse existimavit. Fidem autem, quia credidit eum posse quod petiit. Sapientiam, quia divinum thesaurum absconditum in a-

gro terreno, non acumine oculorum, sed mentis puritate, nullo demonstrante prospexit. Bonitatem autem, quia pro salute servi sic sollicitus festinabat, quasi non damnum pecuniae, sed salutis passurus in morte illius. Puto quod iste Centurio inter servum et dominum nullam differentiam aestimabat: sciens quoniam etsi dignitas in hoc saeculo diversa est inter illos, una est tamen natura illis. Ideo magis Dei imaginem honorabat in homine, quam opus captivitatis contemnebat in servo: quod Deus non secundum suam iustitiam creando disposuit, sed propter peccata hominum permittendo suscepit. Si tu enim dominus pretium dedisti pro servo, Deus Spiritum suum plantavit in eo. Quanto ergo maior est Spiritus Dei, quam pretium hominis: tanto maius est quod ametur, quam quod contemnatur in servo. Vide ergo ne forte si tu propter pretium tuum abusus fueris illo sine timore Dei, Deus propter Spiritum suum rationem a te exigat sine misericordia. Audiant etiam et intelligant servi. Sicut enim habent domini quod imitentur in Centurione, propter misericordiam: sic habent et servi quod imitentur in puer propter sinceritatem. Putas autem qualis erat ille puer, ut sic amaretur a domino? Secundum dilectionem domini mensurate fidem servi. Nec enim possibile erat, ut sine pretio bonorum rerum tantam sibi dilectionem domini comparasset. Domini ergo servis debent amorem, propter communem naturam; servi autem debent dominis suis timorem, propter ordinationem divinam. Et in servis Christus amatur a dominis, et in dominis Christus timetur a servis.

Et male torquetur. Etsi non satis male torquebatur, tamen aestimabat illum dominus male torqueri, quia sic diligebat eum. Nam unusquisque quem diligit,

etsi modice fuerit taediatus, gravius eum putat habere, quam habet. Vide autem sapientiam Centurionis et fidem. Fidem quidem, quia non dixit: Veni, et salva eum; sciens quia et illic constitutus, in omni loco fuerat praesens. Nam quamvis Christus videbatur esse in mundo, propter dispensationem carnis, tamen mundus erat in Christo, secundum substantiam deitatis. Sapientiam autem, quia non dixit: Vel hic constitutus sana eum; sciebat enim quia potens est ad faciendum, sapiens ad intelligendum, misericors ad exaudiendum: ideo infirmitatem tantummodo exposuit, remedium autem sanitatis in potestate misericordiae eius dimisit. Nam et medico corporali necessarium est tantummodo passionem exponere, quid autem, aut quomodo faciat, ipse cognoscit.

1334 *Respondit ei Iesus: Ego veniam, et curabo eum.* Propter multas causas, cum non peteretur, ut iret, promittit se ire. Primum quidem, ut excitaret fidem eius, hoc ipsum respondere voluit quod respondit. Nisi enim ille dixisset: *Veniam et sanabo eum*; numquam iste responderet: *Non sum dignus, ut intres sub lectum meum, sed dic verbo, et sanabitur puer meus.* Hoc enim consilio et Chananaea clamante: *Filia mea male a daemonio torquetur* (MATTH. XV, 22), respondit quod non erat facturus: *Non est bonum tollere panem filiorum, et dare canibus* (Ibid. 26); ut illa provocata responderet: *Etiā, Domine; nam et catelli de micis filiorum manducant* (Ibid. 27). Sic et huic respondit, quod nolebat, ut quod volebat audiret. Deinde quoniam petitio Centurionis erat pro servo, ideo ire proposuit: ut nos doceret, non magnos colere, et modicos contemnere, sed pauperes et divites similiter honorare. Si enim divitem honoras, propter personam ipsius honoras eum:

si autem pauperem honoras, propter personam Christi honoras. Propterea et in quodam loco, regulo postulante pro filio suo, non dixit: Ego veniam, et sanabo eum: sed quid? *Vade, filius tuus vivit* (IOANN. IV, 50). Illic cum rogaretur, noluit ire, ne forte personam reguli videatur accipere: hic autem non rogatus, promisit ire, ne videatur humilitatem servi contemnere. Illum ergo contempsit, quem dignitas sublevabat regalis: istum autem honoravit, quem conditio humiliabat servilis.

Respondit autem Centurio: Domine, non sum dignus, ut intres sub lectum meum. 1335 Honorem tibi debeo pro beneficio misericordiae tuae, non iniuriam. Sufficit mihi, quod puerum meum sanabis. Ut quid iniuriam etiam patiaris intrando sub tectum domus indignae? Quod autem in hunc mundum venisti, iniuriam passus es: sed tolerabilis est iniuria tua, quoniam pateris illam propter omnium hominum communem salutem. Ut quid et alteram iniuriam patiaris, intrando in domum meam propter servi unius salutem? *Dic verbo, et sanabitur puer meus.* Sciebat quoniam adstant illi angeli invisibiliter ministrantes, qui omne verbum eius faciunt. Quod etsi angeli cessent, tamen ipsae infirmitates et spiritus passionum praeceptis eius vivacibus expelluntur: quoniam omnis sermo eius virtus est viva.

Nam et ego homo sum sub potestate constitutus. Vide quomodo mysterium Patris et Filii in seipso, Spiritu suggerente, depinxit. Numquid non sufficiebat ad confessionem potestatis Christi hoc solum dicere: *Et ego homo sum, habens sub me milites, et dico huic: Vade, et vade; et alteri: Veni, et venit?* Quoniam et Christus habet sub se angelos, quibus eundi et redeundi ponit praeceptum. Quid ergo necessarium fuit addere, *Et*

ego homo sum sub potestate: nisi ut plenissime Christi dignitatem ostenderet in seipso? Id est, Ego sum homo sub potestate alterius, tamen habeo potestatem iubendi eis, qui sub me sunt. Nec enim impediō iubere minores, propter quod ipse sum sub maioribus; sed ab illis quidem iubeor, sub quibus sum: illis autem iubeo, qui sub me sunt: sic et tu quamvis sub potestate Patris sis, secundum quod homo es, habes tamen potestatem iubendi angelis tuis, nec impedis iubere inferioribus, propter quod ipse habes superiorem. Nam ut homo et iuberis a Patre quasi minor, tamen angelis iubes quasi maior. Sed forte dicit haereticus, volens ostendere Patrem et Filium unum vel aequalem, non est ita intelligendus hic locus, sed sic: Si ego sub potestate constitutus, possum iubere eis, qui sub mea sunt potestate: quanto magis tu, qui in nullus es potestate, potes iubere eis, quos habes in potestate? Sed hanc interpretationem perversam non recipit textus. Non enim dixit: Si ego homo in potestate; sed ita: Nam et ego homo sum sub potestate. Non comparationis inter se et Christum differentiam fecit, sed rationem similitudinis introduxit. Vide ergo quomodo gentilis et rusticus miles mysterium veritatis cognovit, et homines Christiani, qui Scripturas portant in ore, denegant veritatem. Non quia obscura sunt aut profunda mysteria veritatis, non omnes ea cognoscunt: sed quia perversa sunt corda eorum, et non requiescit in eis spiritus veritatis: propterea veritas fugit ab eis. Qui autem rectus est corde, ita ut requiescat in eo spiritus veritatis, non potest longe esse a veritate. Scriptum est enim: *In malivolam animam non introibit sapientia* (SAP. I, 4), etc. Sed dicit aliquis: Vos ergo omnes iusti estis et recti, qui

putatis vos esse in veritate? Non omnes, quod peius est, sed multi sunt perversi in veritate fidei; tamen in erroribus nullus est rectus. Aliud est enim, multos esse malos, aliud est, neminem esse bonum. Ubi enim quidam sunt mali, quidam boni, hominum est differentia: ubi autem omnes mali, rei perversitas est. Nam et in medio tritici voluntariae nascuntur spinae. Inter spinas autem voluntarium triticum non generatur.

Audiens autem Iesus, miratus est, et sequentibus se dixit: In nullo tantam fidem inveni in Israel. Credidit Andreas, sed praesignante sibi Ioanne ac dicente: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (IOANN. I, 29). Credidit autem et Petrus, sed evangelizante sibi de illo Andrea et dicente: *Invenimus Messiam* (Ibid. 41). Credidit et Philippus, sed legendo Scripturas, sicut ipse ad Nathanael dixit: *Quem scripsit Moyses in lege, et prophetae, invenimus Iesum a Nazareth* (Ibid. 45). Ipse quoque, Nathanael, nisi audisset a Christo, *Cum esses sub arbore fici, vidi te* (Ibid. 48): numquam respondisset: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel* (Ibid. 49). Prius signum divinitatis accepit, et sic confessionem fidei obtulit. Aut si non sumus ausi fidiorem illum putare quam apostolos, ita testimonium Christi intelligendum est, quod unumquodque bonum hominis secundum qualitatem personae illius laudatur. Puta, si rusticus aliquid verbum sapienter loquatur, philosophus multo amplius sapienter: in modico sermone sapientiae rusticus plus laudatur, quam in magno philosophus: quoniam rusticum dicere aliquid sapienter, magnum est: philosophum autem dicere sapienter, non est mirum. Aut si puer aliquid astute loquatur, dicimus: Satis sapiens puer: si autem vir perfectus sapienter loquatur, non laudatur quasi

sapiens: non quia puer plus sapuit quam perfectus, sed quantum ad comparisonem aetatis suae sapientior videtur esse, quam ille perfectus. Sic et in Centurione dictum est: *In nullo tantam inveni fidem in Israel*, non quia nec apostoli tantam fidem habuerunt.

Varia de impos. Cinerum, ex Azevedo.
(DE DIV. OFFIC., EXERCIT. 43).

1338 VERUM post duodecimum saeculum Romae non amplius poenitentes ab Ecclesia sunt electi; sique haec caeremonia cunctis fidelibus cvasit communis. Olim autem, uti refertur in Ordinibus Romanis, cineres nudis pedibus accipiebantur; praesertim Romae, ubi Summus Pontifex cum Cardinalibus, et Clero nudis pedibus procedebat hac Feria ab Ecclesia S. Susannae ad Ecclesiam S. Sabinae. Iam anno nonagesimo primo supra millesimum praecedat Concilium Beneventanum cunctis fidelibus hac die cineres super capita accipere: *Omnes tam clerici, quam laici, tam viri, quam mulieres die illo cinerem super caput accipiant*. In illis vero conferendis Romae dicitur: *Memor homo, quia.....* Cum autem Summus Pontifex distribuuntur, iuxta Ordinem Romanum Amelii tempore Urbani sexti exaratum, nulla recitantur verba. *Nihil dicendo imponit cineres super caput Papae ad modum Crucis*, ipse vero Summus Pontifex in Ordine Caietani, post acceptos cineres excaleat se, iurus ad stationem cum processione, et quando ad S. Sabinae pervenit, lavantur ei pedes, tunc se caleat ad Missam celebrandam, in qua per Adventum et Quadragesimam non dicit *Pax vobis*, sed *Dominus vobiscum*.

FERIA SEXTA POST CINERES

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. V. 43-48; VI. 1-4.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Audi estis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.

44. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.

45. ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est: qui solem suum omni facit super bonos et malos: et pluit super iustos et iniustos.

46. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt?

47. Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et ethnici hoc faciunt? 48. Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.

CAPUT VI.

1. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in coelis est.

2. Cum ergo facis elemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

3. Te autem faciente elemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua:

4. ut sit elemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

COMMENT. IN EVANG. MATTH., CAP. 5, 6.

1339 **Q**ui petit a te, da ei, et volenti mutuari a te, ne avertaris. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Si de elemosyna tantum dictum intelligimus, in plerisque pauperibus hoc stare non potest. Sed et divites si semper dederint, semper dare non poterunt. Post bonum ergo elemosynae apostolis, id est, doctoribus praecepta tribuuntur, ut qui gratis acceperunt, gratis tribuant (MATTH. x. 8). Istiusmodi pecunia numquam deficit; sed quanto plus data fuerit, tanto amplius duplicatur. Et cum subiecta sibi arva riget, numquam fontis unda siccatur.

1340 Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Multi praecepta Dei imbecillitate sua, non sanctorum viribus aestimantes putant esse impossibilia quae praecepta sunt, et dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos: ceterum diligere plus praecipit, quam humana natura patitur. Sciendum est ergo Christum non impossibilia praecipere, sed perfecta: quae fecit David in Saul et in Absalon (I REG. xxiv. 9; xxvi. 5; II REG. xviii. 33), Stephanus quoque martyr pro inimicis la-

pidantibus deprecatus est (ACT. vii. 59). Et Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis (ROM. ix. 3). Haec autem Iesus et docuit et fecit, dicens: *Pater, ignosce illis: quod enim faciunt, nesciunt* (LUC. xxiii. 34).

1341 **U**t sitis filii Patris vestri qui in coelis est, qui solem suum omni facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est. Si Dei praecepta custodiens, filius quis efficitur Dei: ergo non est natura filius, sed arbitrio suo.

1342 **A**ttendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in coelis est. Qui tuba canit, elemosynam faciens, hypocrita est. Qui ieiunans demolitur faciem suam, ut ventris inanitatem monstret in vultu, et hic hypocrita est. Qui in synagogis et in angulis platearum orat, ut videatur ab hominibus, hypocrita est. Ex quibus omnibus colligitur hypocritas esse, qui quodlibet facit, ut ab hominibus glorificentur. Mihi videtur et ille qui dicit fratri suo: *Dimitte ut tollam festucam de oculo tuo* (MATTH. vii. 4), propter gloriam hoc facere, ut ipse iustus esse videatur. Unde dicitur ei a Domino: *Hypocrita, eice primum trabem de oculo tuo* (Ibid. 5). Non itaque virtus, sed causa virtutis apud Deum mercedem habet. Etsi a recta via paululum declinaveris, non in te est utrum ad dexteram vadas, an ad sinistram, cum verum iter amiseris.

1343 **T**e autem faciente elemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit elemosyna tua in abscondito: et Pater tuus

qui videt in abscondito, reddet tibi. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Non solum elemosynam, sed quodcumque feceritis boni operis, debet sinistra nescire; si enim illa scierit, statim dexteræ opera commaculantur. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Non Dei mercedem, sed suam. Laudati sunt enim ab hominibus, quorum causa exercere virtutes.

Varia de initio Quadrage. ex Granelos.
(COMMENT. HIST. IN BREV. ROM., LIB. 2, CAP. 36).

1344 **I**AMU viguit usus non inchoandi Quadragesimam, nisi feria secunda post primam Dominicam, sed cum plerisque inesset scrupulus non ieiunandi nisi triginta sex dies, non vero quadraginta, praebere ansam quatuor alios dies adiungendi. Qui tamen non erant praescripti in Hispania tempore S. Isidori Hispalensis, neque tempore quarti concilii Toletani, neque Romae tempore S. Gregorii, a quo hom. 6 in Evang. espreste dicitur, quod non ieiunabatur nisi triginta sex dierum spatio, propterea quod e quadraginta duorum numero sex Dominicæ subtrahendae erant: *A praesenti enim die usque ad Pascha sex hebdomadae veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo sunt, ex quibus dum sex dies Domini abstinentiae subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam triginta sex remanent..... Et sic quasi anni decimas Deo damus*. Unde credibile est, Sacramentarium, quod huius Papae nomine inscribitur, non habuisse eius aetate Missam de Feria quarta. Cinerum, cui titulus, *Feria quarta in capite ieiunii*. Ita tres aliae feriae titulo carent Quadragesimae, Feria 1, Feria 6, Sabbato infra Quinquagesimam.

SABBATO POST CINERES

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MARCUM.
Marc. VI. 47-50.

In illo tempore: Cum seio esset, erat navis in medio mari et Iesus solus in terra.

48. Et videns discipulos suos laborantes in remigando: (erat enim ventus contrarius eis) et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare: et volebat praeterire eos.

49. At illi ut viderunt eum ambulante supra mare, putaverunt phantasma esse, et exclamaverunt.
50. Omnes enim viderunt eum, et conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, et dixit eis: Confidite, ego sum, nolite timere.

51. Et ascendit ad illos in navim, et cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant.

52. non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcaecatum.

53. Et cum transirent, venerunt in terram Genesareth, et applicuerunt.

54. Cumque egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum:

55. et percurrentes universam regionem illam, coeperunt in grabatis eos, qui se male habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse.

56. Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti eius tangere: et quotquot tangebant eum, salvi fiebant.

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.
IN MARCI EVANGELIUM, CAP. 6.

1345

ET cum sero esset factum, erat navis in medio mari, et ipse solus in terra. Et videns eos laborantes in remigando: erat enim ventus contrarius eis. Labor discipulorum in remigando, et contrarius eis ventus, labores sanctae Ecclesiae varios designat: quae inter undas saeculi adversantis, et immundorum flatus spirituum ad quietem patriae coelestis quasi ad fidam littoris stationem pervenire conatur. Ubi bene dicitur, quia navis erat in medio mari, et ipse solus in terra. Quia nunquam Ecclesia tantis gentium pressuris, non solum afflicta, sed et foedata est, ut (si fieri posset) Redemptor ipsius eam prorsus deseruisse ad tempus videretur. Unde est illa vox eius inter undas procillasque tentationum verrentium deprachensae, atque auxilium protectionis illius gembundo clamore quaerentis. Unde: *Quid, Domine, recessisti longe, despicias in opportunitatibus, in tribulatione?* Quae pariter vocem Psalmi subiciens: *Dixit enim in corde suo, oblitus est Deus: avertit faciem suam ne videat usque in finem.* Verum ille non obliviscitur orationem pauperum, neque

avertit faciem suam a sperantibus in se: quin potius et certantes cum hostibus ut vincat adjuvat, et victores in aeternum coronat. Unde hic quoque aperte dicitur, quia vidit eos laborantes in remigando. Vidit quippe Dominus laborantes in mari, quamvis ipse positus in terra: quia etsi ad horam differre videatur auxilium tribulatis impendere, nihilominus eos ne in tribulationibus deficiant, suae respectu pietatis corroborat, et aliquando etiam manifesto adiutorio, victis adversitatibus, quasi calcatis, sedatisque fluctuum voluminibus, liberat, sicut hic quoque subsequenter insinuat cum dicitur:

Et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans super mare. Stationes et vigiliae militares interna horarum spatia dividuntur. Quando ergo dicit quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum, ostendit tota nocte periclitatos, et extremo noctis tempore eis auxilium praebitum.

Laborant ergo toto noctis opacae tempore, sed diluculo appropinquante, et lucifero solis dieique exortum promittente, venit Dominus et superambulans, tumida freti terga comprimit. Quia quum pressuris obsita fragilitas humana, pusillitatem virium suarum considerat, nihil erga se aliud quam tenebras angustiarum, et aestus cernit hostium conflictum. Cum vero mentem ad superni lumen praesidii, et perpetuae dona retributionis exerxit: quasi inter umbras noctis repente exortum luciferi conspiciat, qui diem proximum nuntiet. Lucifer namque cum plurimum, tres horas noctis, id est totam vigiliam matutinam illuminare perhibetur.

Aderitque Dominus, qui sopitis tentationum periculis, plenam libertatis fiduciam suae protectionis attribuat. Sequitur:

Et volebat praeterire eos. At illi ut viderunt eum super mare ambulante, putaverunt phantasma esse, et exclamaverunt. Omnes enim eum viderunt, et conturbati sunt. Adhuc haeretici putant phantasma fuisse Dominum, nec veram assumpsisse carnem de Virgine. Denique Theodorus Pharanitanus quondam episcopus ita scripsit, corporale pondus non habuisse secundum carnem Dominum: sed absque pondere et corpore super mare deambulasse. At contra fides catholica, et pondus secundum carnem habere cum praedicat, et onus corporeum, et cum pondere atque onere corporali incedere super aquas non infusus pedibus. Nam Dionysius egregius inter Ecclesiasticos scriptores, in opusculis de Divinis nominibus, hoc mundo loquitur: ignoramus enim qualiter de virginis sanguinibus alia lege praeter naturalem formabatur, et qualiter infusus pedibus corporale pondus habentibus, et materiale onus, deambulabat in humidam et instabilem substantiam. Quomodo autem volebat Dominus eos praeterire, tamquam alienos, ad quos de periculo naufragii liberandos advenerat, nisi ut ad horam turbati et paventes sed continuo liberati, amplius ereptionis suae miraculum stupere, ac maiores ereptori suo gratias referrent? Quia et in tempestatibus passionum quae pro constantia fidei a perfidis ingeruntur, talis nonnumquam provisio divinitus ostenditur. Saepe enim ita fideles in tribulatione positos superna pietas deseruisse visa est, ut quasi laborantes in mari discipulos praeterire Iesus voluisse putaretur. Unde est et illud in Psalmista, Ecclesiae in martyrii certamine desudantis: *Quare me oblitus es, quare me repulisti, et quare tristis incedo dum affligit me inimicus?* Dum confringuntur omnia ossa mea, etc. Sed dicunt inimici terrentes, ubi est Deus

eorum? quasi naufragium fessis minitantes Apostolis. Dicit ipse, Deus eorum: *Cum transieris per aquas tecum ero, et flumina non operient te. Cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te.* Unde hic quoque recte subditur.

Et statim locutus est eis, et dixit illis: Confidite, ego sum, nolite timere. Et ascendit ad illos in navem, et cessavit ventus. Prima trepidantium et periclitantium subventio est, incussum cordibus expellere timorem. Secunda tempestatum furias suae praesentiae virtute compescere. Nec mirandum, si ascendente in naviculam Domino, ventus cessavit. In quocumque enim corde Deus per gratiam sui adest amoris, mox universa vitiorum, et adversantis mundi, sive spirituum malignorum bella compressa quiescunt.

Et plus magis intra se stupebant. Non enim intellexerant de panibus. Erat enim cor illorum obcaecatum. Dominus quidem et in miraculo panum, quod esset conditor rerum, ostendit: et in ambulando super undas, quod haberet corpus ab omni peccatorum gravedine liberum, edocuit: et in placando ventos, undarumque rabiem sedando, quod elementis dominaretur, monstravit. Sed carnales adhuc discipuli, necdum hunc Deum esse cognoscunt. Et quidem virtutum magnitudinem stupebant: necdum tamen in eo veritatem divinae maiestatis cognoscere valebant.

Cum egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum: et percurrentes universam regionem illam, coeperunt in grabatis eos qui se male habebant circumferre, ubi audiebant eum esse. Cognoverunt eum rumore, non facie: vel certe pro signorum magnitudine quae parabat in populis, etiam plurimis vultu notus erat. Et vide quanta fides sit hominum terrae

Geneareth, ut non praesentium tantum salute contenti sint, sed mittant ad alias per circuitum civitates, quo omnes currant ad medicum.

1333 *Et quicumque introibat in vicos vel in villas, aut in civitates: in plateis ponebant infirmos: et deprecabuntur eum, ut vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quotquot tangebant eum, salvi fiebant.* Qui male se habent, non tangant corpus Iesu, neque totum vestimentum eius, sed extremam fimbriam. Et quicumque tetigerint, sanabuntur. Fimbriam vestimenti eius, minimum mandatum intellige, quod qui transgressus fuerit, minimus vocabitur in regno coelorum: vel assumptionem carnis per quam venimus ad verbum Dei, et illius postea fruiur maiestate.

Varia de initio Quadrag., ex Grancolas.

(COMMENT. HIST. IN BRV. ROM., LIB. 2, CAP. 43)

1334 **I**NIITIUM Quadagesimae vocabatur *Caput ieiunii*; atque ita vocata est Feria quarta Cinerum, postquam ab ea coeptum est ieiunium Quadagesimale; verum Officium permansit de feria, quale erat, nec incipit esse de Quadagesima, nisi Dominica subsequenti, quae *Initium Quadagesimae* in Missali Gothico appellabatur: quare dies iste initium potius ieiunii, *Caput ieiunii*, quam initium Quadagesimae vocatur. Primus iste ieiunii dies adeo sollemnis est, ut proprium Officium nulli cedat sollemnitati, quae eo die possit occurrere, ne Patrono quidem Ecclesiae. Videsis S. Basilium, et antiquos Patres de primo die ieiunii disserentes, ut intelligas, quanta populorum frequentia convolare ad Ecclesiam, ut ibi per preces, et praedicationem tam salutare tempus inchoaretur. Ab ann. 1359 apparet Decretum Clementis VI quo praecipit, festa omnia eo die occurrentia transferri, ut fideles omnes ad poenitentiae opera incumbant. A Lanfranco c. 1, sect. 3, dies iste appellatur *Dies Chierum*, vel *Feria quarta Cinerum: si in capite ieiunii Festivitas 12 Lectionum evenierit, non celebratur ipsa die, sed differitur in crastinum.*

Sermo beatissimi Patris nostri Isidori Episcopi ad Carnes tollendas.

(EX BRV. MOZARABICO, SERMO QUADRAGESIMAE).

1335 **F**RATRES charissimi: Rogo vos, et admoceo vos, ut in isto legitimo, ac sacratissimo die, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere praesumat, nisi forte ille, quem ieiunare infirmitas non permittit; quia aliis diebus ieiunare, aut remedium, aut praemium est: in Quadagesima non ieiunare peccatum est; alio tempore qui ieiunat, accipit indulgentiam: in Quadagesima, qui potest, et non ieiunat, sentiet poenam. Et ipse tamen, qui ieiunare praevallet, sed rectius sibi soli, aut sive alius infirmus cum ipso sibi in domo sua praeparat, quod accipiat. Et illos, qui ieiunare praevalent, non solum Deus, sed etiam homines possunt illos intelligere, non pro infirmitate non posse, sed pro gula ieiunare non valere. Sufficiat illi quod ipse ieiunare non praevallet. Et magis cum gemitu, et suspirio, et animi dolore adluet, pro eo quod, aliis ieiunantibus, ille abstinere non potest. Et quod opus est, unicuique infirmo secreta, aut sibi soli, aut cum alio similiter infirmo faciat praeparari: quia non ei oportet aliquem sanum, ut roget ad prandium, ne sibi augeat etiam de alterius gula peccatum. Pro eo tamen quod non potest ieiunare, amplius debet erogare pauperibus: ut peccata, quae non potest ieiunando curare, possit elemosynas dando, redimere. Bonum est ieiunare, fratres; sed melius est elemosynas dare. Si aliquis utrumque potest, duo sunt bona: si vero non potest, melius est elemosyna. Si possibilitas non est ieiunandi, elemosyna sufficit sine ieiunando; ieiunium vero sine elemosyna omnino non sufficit. Ergo si aliquis non potest ieiunare, elemosynam faciat. Elemosyna sine ieiunio bona est. Si ergo praevallet ieiunium cum elemosyna, duplex bonum est; ieiunium vero sine elemosyna nullum bonum est, nisi forte si ita sit aliquis pauper, ut non habeat omnino quid tribuat. His vero, qui non habuerint, unde tribuant, sufficit voluntas bona, secundum illud, quod scriptum est: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Sed quis erit, qui se possit excusare, cum etiam pro calice aquae frigidae mercedem se Dominus esse promiserit? et quare frigidae dixit? ne forte se possit aliquis pauper de lignorum penuria excusare; aut certe dicere se vasculum, ubi aquam calefaceret, non habere. Denique et per beatum Prophetam, fratres charissimi, Dominus ita hortatur, et admoceo elemosynam fieri, ut prope nullus pauper sit, qui se valeat excusare; sic enim ait: *Hoc est ieiunium, quod legi, dicit Dominus: Frange esurienti*

panem tuum. Non dicit, ut integrum daret, ne forte pauper ille alium non haberet: sed frange, inquit: hoc est dicere: Etiam si tanta sit tibi paupertas, ut non habeas nisi unum panem; ex ipso tamen frange, et pauperi tribue: et *egrum*, ac sine tecto *induc in domum tuam.* Si aliquis ita pauper est, ut non habeat cibum, vel in uno angulo domus suae praeparat peregrino lectulum; quid nos dicturi sumus fratres? qualem excusationem habere poterimus, qui amplas et spatiosas domos habemus, vix aliquando dignamur accipere peregrinum? ignorantibus, imo non credentibus, quod in omni peregrino Christus excipitur, sicut et ipse dixit: *Hospes fui, et non suscepistis me: et, quando non fecistis uni de minimis istis, nec mihi fecistis.* Laboriosum, et fastidiosum nobis est, in pauperibus excipere Christum in patriam nostram! Timeo, ne nobis ille dicat: *Ite, et non nos recipiat in beatitudine sua.* Contemnimus illum in mundo: timeo, ne nos contemnat in coelo, secundum quod ipse dixit: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare; et, quando non fecistis uni de minimis istis, nec mihi fecistis;* et quod post sequitur, Fratres, avertat hoc Deus a nobis; hoc enim postea addit dicens: *Discedite a me, maledicti: ite in ignem aeternum.* Ego in hanc sententiam neminem iudico: unusquisque attendat sententiam suam; nec tamen arguo et reprehendo: quia forte aliquoties venit per negligentiam, ut vestimenta, quae debuerunt accipere pauperes, deformentur a tineis; et timeo, ne ipsi panni ad testimonium proferantur in die iudicii, secundum quod Iacobus dicit: *Agite nunc dicite, plorantes ululantes in miseriis, quae advenit vobis. Divitiae vestrae putrefactae sunt.* Et omnia sicut dixit, fratres charissimi, qui per Apostolum suum comminatur Christus, licet nos nimium terreat; non tamen de Dei misericordia desperandum est. Aut ego, et mei si negligenter, cum Dei adiutorio cum possumus, nos emendare volumus; elemosynas, quas hucusque parcius fecimus, largius erogemus; et quae pro peccatis praeteritis, cum dolore, et gemitu, et spe repautionis Dominica misericordia docemur. Ergo sicut supra suggestimus, fratres charissimi, ieiunia nostra elemosynarum pinguendo commendat. Quia tale est ieiunium sine elemosyna, qualis sine oleo est lucerna. Nam si lucerna, quae sine oleo accenditur, fumare potest, lucere non potest: ita ieiunium sine elemosyna carnem quidem cruciat; sed charitas lumine animam non illustrat. Igitur vel quod ad praesens agitur, fratres, sic ieiunemus, ut prandia nostra

pauperibus erogemus, ut quod pransuri eramus, non in nostris sacculis, sed in visceribus pauperum reponamus; quia manus pauperis gazophylacium Christi est: quidquid accipit, ne inter pereat, in Coelo reponit: quia quamvis, quod pauper accipit, consumatur; merces tamen boni operis in Coelo reconditur. Nam si prandia nostra exquisitis saporibus, et multiplicatis ferculis expendere stademus ad coenam: sicut corpori nostro delitiae non solum non subtrahuntur, sed etiam duplicantur: ac si corpori vestro nihil minuitur; sic animae nihil augetur. Hoc, fratres, timens magis quam de vobis aliquid sinistrum credens, admoceo. Scio enim ex vobis plures, Deo propitio, et peregrinis assidue accipere, et pauperibus frequenter dare. Et ideo quod suggero, ad hoc proficiat, ut vero non facit, aut forte tardius faciebat, tam sanctam sibi, et omnino placitam operationem in consuetudinem trahat. Et licet credam quod, Deo inspirante semper supervenientibus festivitatibus, castitatem, et charitatem ante plures dies, etiam cum propriis uxoris custodiat Charitas vestra; tamen licet et superfluo etiam, quod vos facere credo) charitatem contemplationis commoneo; ut per totam Quadagesimam, et usque ad finem Paschae castitatem, et charitatem, Deo auxiliante, servetis, ut in illa sacrosancta sollemnitate paschali, charitatis lucerna vestri, elemosynas dealbari, orationibus, vigiliis, et ieiuniis, vel aliquibus coelestibus et spiritalibus margaritis ornari possitis, non solum cum amicis sed etiam cum inimicis; ut pacifici libera, et secunda conscientia ad altare Domini accedentes, corpus, ac sanguinem eius, non ad iudicium, sed ad remedium possitis accipere. Sed cum de elemosynis loquimur, non conturbetur angusta paupertas. Omnia enim complere quisquam poterit, cum fecit, quod potuit: quia voluntas perfecta faciendi, reputatur pro opere facti. Sed hoc ille implet, qui hominem pauperem, quasi se ipsum considerare voluerit, et sic pauperi tribuat, quomodo si ipse in tali necessitate esset, se fieri cupiebat: et qui fecerit sic, et novi, et veteris Testamenti praecepta complevit, implens illud Evangelicum: *Omnia quaecumque cultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter.* Etenim Lex, et Propheta sic impletur ad gloriam, ad quam verac et perfectae charitatis legem, plus vobis Dominus sua protectione perducit. Amen. Praestante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor, et imperium sine fine in saecula saeculorum. Amen.

TEMPORE QUADRAGESIMAE

DOMINICA I. IN QUADRAGESIMA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.

Matth. IV, 1-11.

In illo tempore: Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.

2. Et cum ieiunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esurit.

3. Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

4. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi,

6. et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

7. At illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.

8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum.

9. et dixit ei: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.

10. Tunc dicit ei Iesus: Vade, Satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli serves.

11. Tunc reliquit eum diabolus: et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.

Homilia S. Gregorii Papae.

HOMILIA XVI IN EVANGELIA. Habita ad populum in Basilica S. Iohannis, quae dicitur Constantiniana, Dominica prima in Quadragesima.

DUBITARI a quibusdam solet, a quo spiritu sit Iesus ductus in desertum, propter hoc quod subditur: *Assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem*. Et rursum: *Assumpsit eum in montem excelsum valde*. Sed vere et absque ulla quaestione convenienter accipitur, ut a sancto Spiritu in desertum ductus credatur: ut illuc eum suus Spiritus duceret, ubi hunc ad tentandum malignus spiritus inveniret. Sed ecce, cum dicitur Deus homo vel in excelsum montem, vel in sanctam civitatem a diabolo assumptus, mens refugit, humanae hoc audire aures expavescunt. Qui tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, si in illo et alia facta pensamus. Certe iniquorum